

Hs. fol. 199^v—200^v.

Sedis apostolice moderamine convenimur et doctoris gentium exemplis infuimur^a), ut pro cunctarum^b) ecclesiarum^c) statu instantissime vigilemus, quia si quid in his infirmum, si quid lapsum, si quid neglectum fuerit, ad nostrum periculum redundabit. Adversarius quippe^d) noster, cui mille nocendi artes, cui nomina mille, indesinenter caulas circuit, lustrat, circumspicit et ut leo rugiens¹) canum explorat absentiam, pastoris operitur desidiam, ut licentius rapiat, ut tutius^e) se viat, ut securius perdat. Mox gregem invadit, mox badiatur in oves, mox laqueos preparat, mox in mortem precipitat. Sed quid contra faciendum sit, Paulus insinuat scribens Ephesiis: *Induite vos armaturam^f) Dei, ut possi[tis] st[are] a[dversus] insi[dias] diaboli. Quia non est nobis conluctatio a[dversus] c[arnem] et s[anguinem] g*), *sed a[dversus] p[rincipes] et p[otestates], a[dversus] m[undi] r[ectores] t[enebrarum] h[arum], c[ontra] s[piritualia] n[equitie] i[n] c[elestibus]. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis r[esistere] i[n] d[ie] m[alo] e[t] i[n] omnibus p[erfecti] s[tare]²)*. Quanto igitur hostis noster acrius dimicat, tanto miles^h) Christi sollicitius caveat, ne succumbat. Maxime tamen nos, qui ecclesiarum Dei curamⁱ) suscepimus et velut in specula positi animarum rationem reddituri sumus, intentius^k) vigilare debemus, ne Christi ovilia lacerari sinamus. Quoniam autem Dodo olim vester episcopus^l) viam universe carnis introiit et pastoralis solatio destituti estis, ne diaboli vobis artes noceant, prevaleant, ne insidie noceant, hunc^m) vobis clericum in pastorem et dominum cum Dei auxilio dignum duximus designandum. Undeⁿ) apostolica auctoritate precipimus, ut summa illum reverentia et letitia filiorum recipiatis affectu patrem et dominum. Quatenus eius custodia muniti et exortationibus roborati ad eterne vite pascua secum pertingere valeatis. R. o).

a) so Hs.; zu korr. in instruimur? b) cunctarum Hs. c) ecclesi Hs. d) quidpe Hs. e) titius Hs. f) armatura Hs. g) dahinter ein überflüssiges s Hs. h) milex Hs. i) Kürzungsstrich über u Hs. k) utentius Hs. l) episcopis Hs. m) ht Hs. n) neuer Absatz Hs. o) R. verschnörkelt Hs.; vielleicht in Reverendissimo aufzulösen und an den Anfang des nächsten Briefs (Nr. 11) zu stellen; doch beginnt Domino mit einem großen D Hs.

¹) Vgl. 1. Petr. 5, 8.

²) Eph. 6, 11—13.